

præstaret, cum ad illum, ut Pastorem, dirigantur verba Christi: *Pasce oves meas*, non ad Capellanum.

CAS. II. Paulus sponsalia contraxit cum Berta coram testibus, postmodum clam votum simplex castitatis emisit. Q. ad quid teneatur.

Respondeo, teneri matrimonium contrahere cum Berta pro matrimonio instante. Ratio desumitur tum ex quo in c. *Veniens qui Clerici, vel votantes*, Pontifex dicat imponendam esse pœnitentiam ob mentitam fidem fœminæ, quæ post contracta sponsalia votum castitatis emiserat, quæ pœnitentia non fuisset imponenda, si per votum castitatis sponsalia dissolverentur; tum ex quo votum in tali circumstantia non acceptetur à Deo, cum sit in præjudicium tertie personæ, cum qua sponsalia fuerunt contracta; tum ex quo sponsalia jure positivo habeant quidem imbibitam conditionem, *Nisi religionem elegero, non vero, nisi voluero cœlibem vitam ducere*. Unde cum Berta pro matrimonio instante tenetur Paulus sponsalia complere, matrimonium de præsentibus contrahendo, ita magis communiter cum meo Rosignol. de spons. 2. prænot. 4. in 4.

CAS. III. Petrus sæpe blasphematur contra Deum, contra B. V. contra Sanctos, & in Confessione hujusmodi blasphemias non distinguit. Q. an satisfaciatur integritati Confessionis.

Respondeo negative. Ratio est, quia saltem blasphemiam contra Deum respectively ad blasphemias contra B. V. contra Sanctos habet annexam circumstantiam notabiliter aggravantem intra eandem speciem, hinc notabiliter variantem iudicium Confessarii; quæ circumstantia cum ex alibi dictis sit in confessione aperienda; sequitur, hac non expressa, ut in casu, confessionem non fuisse integram, ut requiritur. Dico saltem habere annexam talem circumstantiam, quia non desunt DD. penes Lugum de pœnit. disp. 16. n. 278. docentes, differre specie nedum blasphemiam contra Deum à blasphemias contra B. V. & Sanctos; sed etiam blasphemiam contra B. V. ab illis contra Sanctos, in qua hypothese certissimum esset Petrum integritati confessionis non satisfecisse.

#### M E N S E D E C E M B R I S.

CAS. I. Capellanus quidam noluit Petro proxime morituro Extremam Unctionem ministrare, quia carebat Stola. Q. an bene se gesserit.

CAS. II. Alter Capellanus noluit similiter ad mortem Infirmo idem Sacramentum ministrare, quia licet haberet Stola, carebat tamen Superpelliceo. Q. an bene se gesserit.

CAS. III. Parochus noluit Sacro Oleo Infirmum ad mortem inungere, quia carebat tamen Stola, tam Superpelliceo. Q. similiter an bene se gesserit.

Respondeo probabiliter negative. Ratio est, quia vestes sacerdotales non requiruntur ad validitatem Sacramenti ministrandi à solo Sacerdote; aut ad vitandam aliquam irreverentiam erga Sacramentum; nam sicuti valida est absolutio data à Sacerdote sine talibus vestibus, licet nequeat dari nisi à Sacerdote, & nulla irreverentia irrogatur Sacramento Pœnitentiæ illud absque

que dictis vestibus ministrando, ita valide, & absque irreverentia ministrari potest Extrema Unctio sine Stola, & Superpelliceo. Solum ergo requiruntur vestes Sacerdotales in collatione Extremæ Unctionis ad servandum ritum Ecclesiæ, qui sane servandus est, nisi urgeat necessitas, ut in casu, in quo Infirmus ab hoc mundo esset discessurus absque hoc Sacramento, & sic absque ejus fructu in mortis articulo maxime necessario, urgente vero necessitate posset non servari, si aliter nequiret ministrari: sicuti non servatur in simili circumstantia ritus quoad lumen, & quoad preces consuetas in Rituali præscriptas. Neque ex hoc potest inferri primo ministrari posse urgente necessitate, etiam Viaticum sine Stola, & superpelliceo. 2. posse ministrari Extremam Unctionem sine Stola, etiam nulla urgente necessitate, cum sic ministraretur pœnitentia. Non primum, quia Euch. est Sacramentum Sacramentorum, ideo specialem exigit reverentiam. Non secundum, quia quoad Extremam Unctionem adest in usu ritus ab Ecclesia præscriptus illam ministrandi cum vestibus sacerdotalibus; qui extra necessitatem servandus est; non sic habetur pro pœnitentia præscriptio semper utendi Stola in ejus ministerio: ideo, nulla urgente necessitate, Extrema Unctio cum vestibus sacerdotalibus; urgente vero, ut in casu, etiam absque talibus Indumentis ministranda est; unde non bene se gessit Parochus in casu tale Sacramentum ob Stola, & Superpellicei defectum non ministrando: Ita cum Poss. Leand. & aliis de Extrem. Unct.

## CASUS CONSCIENTIÆ BONONIENSIS DIOECESIS PRESBYTERIS

Ad discutiendum propositi, ac resoluti: Ab anno  
1738. usque ad 1740. Et iterum impressi.

### ANNO MDCCXXXVIII.

#### MENSE JANUARI.

CAS. I. Solet Cajus in Sacris constitutus Vesperas, & Completorium recitare, dum vestibus se exiit, ut cubitum eat. Q. an graviter peccet?

Respondeo negative. Nam licet peccati gravis reus censendus sit, qui notabilem Divini Officii partem recitat distractus in illis externis rebus, quæ necessariam attentionem excludunt, ut sunt scribere, pingere, & similia; hoc

tamen dicendum non est, quando externæ res, & actiones debitam non impediunt reverentiam, & attentionem, ut est vestibus se exuere, lavare manus, & huiusmodi: Secus neque orationes recitandæ à Sacerdote, dum manus abluit, & se sacris vestibus induit, ut Missam celebret, congruè in Missali præscriberentur: neque laudabiliter fuisset statutum, ut nonnulli Religiosi viri, eo tempore, quo è lecto surgunt, & se vestibus induunt. **B. M. V.** Officium, aliasque preces recitent, quod tamen optime sancitum fuisse dicendum est. Cum tamen Cajus noster soleat, ut inquit **Casus**, variare tempus à Rubricis, pro debita horarum canonicarum recitatione præscriptum, sequitur ipsum à levi saltem culpa nequaquam posse excusari. Ita **Suar.** t. 2. de Rel. lib. 4. cap. 26. num. 2. **Rosignol.** de Ord. art. 31. num. 3. **Gavant.** in rubr. Brev. c. 5. sect. 1. tit. 6.

**CAS. II.** Titius domum suam Cajo vendens, dixit: Vendo tibi domum meam pretio mille aureorum, si nunc mihi ea solvas; vel mille & quinquaginta, si ea solvere cupis post annum. **Q.** an talis contractus sit licitus?

Respondeo cum distinctione. Si pretium mille & quinquaginta aureorum est intra latitudinem justii pretii domus, ita ut mille constituent pretium medium, vel infimum; mille vero & quinquaginta pretium supremum, dico Titii contractum licitum esse; nam sicut posset Titius aureos illos mille & quinquaginta statim exigere, ita potest exigere illos post annum; eo præcipue quod potest venditor domum suam vendere pretio supremo, cum sit dilata solutio; & medio contentus, quando statim eadem solutio fiat. Si autem aurei mille supremum domus pretium constituent, & ex eo solo titulo, quia scilicet solvi non debent, nisi post annum, Titius exigit pro pretio domus mille, & quinquaginta, contractus omnino illicitus est, quia idem est, ac si Titius mille mutuo daret, ut post annum quinquaginta supra sortem reciperet, in quo consistit usura, unde ab **Innoc. XI.** propositionem in num. 41. proscriptam habemus. Ita **D. Thom.** 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. **Girib.** de Contract. c. 2. num. 79. **Gobat.** t. 1. tr. 7. cas. 18. num. 568.

**CAS. III.** Paulus nuptias cum juvene Seja contracturus, vellet Patrini munus in Sororis Seje confirmatione subire. **Q.** an licite & aliquod ex tali munere matrimonii cum Seja impedimentum oriatur?

Respondeo, Paulum non posse licite munus Patrini Sororis Seje confirmatione subire, quia juxta praxim Ecclesie, & ritum à Pontificali Romano præscriptum, neque Mas debet esse Patrini Fœminæ, nec Fœmina Maris, cum hoc minime ob sexus diversitatem conveniat. Si tamen Paulus tale Patrini munus subiret, nullum ex tali munere Matrimonii cum Seja oriretur impedimentum; cum spiritualis cognatio, de qua unice dubium esse potest in casu, oriatur quidem inter Patrum & confirmatum, huiusque Patrem & Matrem, non autem ad alios confirmati consanguineos extendatur, ut ex **Trid.** sess. 24. c. 2. de refor. matrim. videre est.

### MENSE FEBRUARII.

**CAS. I.** Conjugatus ipsa die, qua petiit copulam conjugalem, & quidem ob solam voluptatem, petiit à Confessario facultatem accedendi

di ad Sacram Synaxim, ut Indulgentiam lucratur. **Q.** an talis accessus ratione dicti motivi sit concedendus?

Resp. affirmative. Quia quamvis opus conjugii ob solam voluptatem exercitum non careat omni culpa, & defectu veniali, ut constat ex damnata ab **Innoc. XI.** sub n. 9. propositione, & pariter copula ex mera voluptate peccata indicium sit animi parum ad res divinas dispositi, utpote quia ex tali actu magna soleat mentis distractio, & hebetudo oriri; adhuc tamen, cum ex una parte peccatum illud veniale possit de facili expiari, animusque ipsius conjugii virtute confessionis, vel aliorum priorum actuum possit in se ipso colligi, apteque ad Sacram Synaxim disponi, & ex altera parte habeamus speciale lucranda Indulgentie motivum, dicendum est, petitam facultatem esse à Confessario concedendam. Hoc præsertim dicendum, si Indulgentia lucranda cum diei solemnitate conjuncta foret, cum talibus diebus ad Eucharistiam accedere maxime deceat. Ita **Joannes Cler.** de Euchar. decis. 53. num. 15. **Pallaus** de Euch. punct. 3. num. 3. **Suar.** de Euch. disp. 68. sect. 2.

**CAS. II.** Confessarius formam sacramentalis absolutionis frequenter cum distractione voluntaria pronuntiat. **Q.** an graviter peccet?

Respondeo cum distinctione. Vel Confessarius, qui formam sacramentalis absolutionis frequenter cum distractione voluntarie pronuntiat, advertit se aliquando in substantia formæ errasse, vel nunquam se errasse cognoscit. Si primum, dico ipsum graviter peccare, quia distractiones voluntarias tali tempore admittens, irritationis periculo Sacramentum exponit, quod sine gravi culpa contingere nequit: Si secundum, assero nullam adesse rationem, propter quam ipse Confessarius culpæ lethalis reus censendus sit, cum purus attentionis defectus non importet carentiam alicujus requisiti ad Sacramenti valorem, sicuti importaret defectus debite intentionis; neque gravem irroget injuriam Sacramento, quando nullum imminet substantialis erroris in prolatione formæ periculum. Esset itaque Confessarius noster reus culpæ venialis, quia sancta sancte tractanda sine debita reverentia exerceret; secluso tamen super expresso periculo, ipsiusque Sacramenti contemptu, ut gravis culpæ reus damnandus non est. Ita **Sporer** de Sacram. part. 1. c. 2. sect. 3. num. 157. **Tambur.** de Sacram. loc. 2. §. 1. num. 5. & 6. **Gobat.** t. 1. tr. 7. num. 17.

**CAS. III.** Parochus cum occasione confessionis invenerit Cajum Doctrinæ Christianæ valde ignarum, recusat ejus matrimonio cum Berta contrahendo assistere, usque dum fiat instructus. **Q.** an bene se gerat?

Respondeo male se gerere. Ratio est, quia quamvis, cum juxta Synodum 5. Mediolanotum juxta varia Decreta hæc de re edita, sive sub **Innoc. XII.** anno 1697. die 1. Junii, sive sub **Clem. XI.** anno 1713. die 13. Septembris præcipiatur Parochis, ut explorato consensu pro sponsalibus requisito, non nisi sufficienter in fidei, ac Doctrinæ Christianæ rudimentis instructos ad Matrimonium contrahendum admittant; omnes tamen istæ leges debent semper intelligi de mysteriorum ignorantia extra confessionem detecta, salvoque semper sacramentali sigillo, ut omnibus compertum est. Cum igitur in casu nostro dicatur, Caji ignorantiam occasione confessionis à Parochò fuisse detectam, & ratione prædictæ ignorantie Cajum à Parochò ad matri-

monium cum Berta contrahendum non admitti, Parochum male se gerere dicendum est; quia cum injuria Sacramenti, fractione sigilli, & poenitentis gravamine utitur notitia in Confessione recepta, quod absque gravissima culpa fieri umquam non potest. Ita cum Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 15. num. 19. Barbosa de Officio Paroch. c. 21. num. 3.

*M E N S E M A R T I I.*

**CAS. I.** POenitenti se accusanti de furto decem aureorum, simulque dicenti vix posse sine sui infamia Domino restituere; imponit Confessarius, ut dictam summam in Eleemosynas erogat. Q. an hoc Confessarii iudicium sit approbandum?

Respondeo. Si examinatis circumstantiis difficultas restituendi sine infamiae nota auferri potest per hoc, quod restitutio fiat per intermediam personam, vel per aliquam creditori praestitam compensationem, approbandum nullatenus erit Confessarii iudicium; quia cessante amittendae famae periculo, urget semper restituendi praecipuum obligans ad sumenda ea media, quae ad satisfactionem creditori praestanda conducunt. Si autem vitari nequeat infamiae periculum, & hoc non sit tantum ad aliquod tempus (in quo casu posset quidem debitor restitutionem differre, non autem ab illa per elargitionem eleemosynae liberari) sed perpetuum, in tali casu, cum nemo inferioris ordinis bona, ut sunt illa fortunae, cum jactura bonorum superioris ordinis, ut sunt bona famae, restituere teneatur, approbandum erit Confessarii iudicium, obligationem restitutionis in illam eleemosynae commutantis, cum talis etiam creditoris voluntas rationabiliter praesumatur. Ita Analect. tr. 9. in Decal. q. 6. n. 107. & 108. Gobat. t. 1. tr. 7. n. 56. Nav. in Manual. c. 17. n. 57.

**CAS. II.** Maritus voto castitatis ligatus, putat sibi licere petere debitum, ne grave Uxori matrimonium reddatur, si ipse non petat. Q. an talis petitio in casu vere sit licita?

Respondeo. Maritum voto castitatis obstrictum posse aliquando se ad usum conjugalem Uxori offerre, non quidem ut proprio appetitui morem gerat, sed gratia ipsius Uxoris, quae fortasse etiam cum inconuenientiae periculo, praerubore non petit; in hoc enim casu petitio Mariti, ne grave reddatur Matrimonium Uxori, potius redditio est, quae proinde per emissum votum non prohibetur. Aliter tamen dicendum est, si Uxor ipsa vovendae castitatis facultatem viro concessit, aut saltem voti a viro suo emissi conscia sit; tunc enim petere debitum ad ipsam Uxorem spectaret, cum sciret viro suo vi emissi voti veritatem esse ipsius debiti petitionem. Ita Gobat. t. 1. tr. 10. n. 579. Sanch. de Matrim. disp. 7. num. 1.

**CAS. III.** Habet Titius duos filios, quorum ut unus ad Sacros Ordines promoveatur illi Castanetum, quo tota vivit familia, pro congruo patrimonio assignat. Q. an tale patrimonium ut legitimum possit admitti?

Respondeo negative per se loquendo. Ratio est, quia praedicti patrimonii designatio facta a Patre in unius filii favorem, esset in praedictum alterius fratris, qui portione legitimae sibi debita privaretur, & in totius familiae dam-

damnum, cum in casu, quo Clericus ordinatus vellet fructus omnes ex Castaneto provenientes sibi servare, sicuti posset, familia amplius, unde victum sumeret, non haberet. Cum autem legitimi patrimonii designatio sine alterius injuria, & laesione fieri debeat, talem nequaquam esse eam, quae in casu nostro contingit, dicendum est. Dixi, per se loquendo, nam si Castanetum libere spectaret ad Patrem, & filius alter in perfecta constitutus aetate, una cum Patre juri suo cedens in favorem fratris, donationi portio- nis suae legitimae consentiret, dicendum esset filium Clericum, tamquam legitimo Patrimonio provisum posse ad Sacros Ordines promoveri. Ita Girib. de Sac. Ord. c. 4. n. 65. Marchin. de Sac. Ord. tr. 2. c. 7. diffin. 3.

*M E N S E A P R I L I S.*

**CAS. I.** SACerdos variis inquinatus impuritatibus, dum ad Confessarium accedit, fingit se esse Laicum, voto tamen castitatis obstrictum. Q. an valide confiteatur?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia juxta communio- rem sententiam solemne castitatis votum essentialiter a simplici voto non differt, cum solemnitas addita voto speciem non mutet, sicut non mutat addita contractui, vel juramento; licet proinde Sacerdos, qui, dum confitetur, fingit esse laicum, mentiatur; adhuc tamen, cum sufficienter exponat circumstantiam pro Sacramenti valore aperiendam, nempe voti ligamen sequitur, ejus fictionem, atque mendacium, culpae venialis rationem, non egredi; sicque nullatenus Sacramenti valori obesse. Neque obstat perfectionem a solemn- ni voto importatam, majorem esse debere illa laici simplici castitatis voto obstricti; cum haec major, vel minor perfectio per peccatum amissa, peccatum de una in alteram speciem non transferat, sed tantummodo plus minusve grave in eadem specie efficiat. Ita Pal. tr. 23. disp. unic. punct. 9. n. 6. Lugus de poenit. disp. 14. num. 149.

**CAS. II.** Rusticus quidam juvenis, qui certus est se duodecies commis- se mollitiei peccatum, confitetur se tale peccatum decies, aut duodecies commis- sisse. Q. an sacrilege confiteatur?

Respondeo affirmative, nisi ignorantia eum excuset. Ratio est, quia certus de numero peccatorum lethalium nequit talem numerum sub dubio expri- mere, cum ex Trid. sess. 14. C. 5. omnia peccata non solum in specie, ve- rum etiam sigillatim, hoc est quantum ad numerum, prout dicitur Conscien- tia, sint aperienda. Qui autem certus est se duodecies commis- sisse mollitiei peccatum, & confitendo dicit se illud decies, aut duodecies commis- sisse, confitetur ut dubium peccatum, quod in ejus conscientia certum est, sic- que sacrilege confitetur. Hoc tamen non dicerem, si quis numero certo ad- deret sub dubio majorem; difficile enim est, quod tunc poenitens graviter coram Deo delinquat, cum ista additio tantummodo majoris securitatis stu- dio fieri soleat, & ex scrupulo, non ex malitia, ut in casu nostro contin- git: Dixi nisi ignorantia eum excuset: nam saepe rustici propter eorum sim- plicitatem certum etiam numerum sub expressione numeri indeterminati si- ne culpa exponunt, quod proinde advertere debent Confessarii, ut numerum

cessum inquirant. Ita Anaclet. tit. 14. disp. 8. q. 2. n. 31. Lacroix L. 6. part. 2. c. 167. n. 618. Suar. disp. 22. sect. 5. n. 38.

CAS. III. Concionator ipsa die, qua publice loquitur contra lethale peccatum, lethali peccato obnoxius reperitur. Q. an concionando scienter in tali statu novum peccatum committat?

Respondeo per se loquendo nullum peccatum saltem grave committere. Ratio est, tum quia nullum habetur præceptum divinum, aut humanum obligans sub lethali concionatores, ne verbum Dei in statu peccati lethalis populo exponant; tum quia actus concionandi non assumitur ut immediatum sanctificationis nostræ instrumentum: sicuti assumitur confectio Sacramentorum, ideoque non videtur tanta irreverentia actum illum in lethali exercere, ut qui sic illum exerceat, damnandus sit culpæ lethalis. Dixi per se loquendo, nam per accidens fieri potest, ut, si vel prædicti concionatoris peccatum publicum sit, vel ideo nihil ducat in statu peccati concionem suam habere, quia Verbum Dei ejusque fructum contemnat; ipse concionator ratione scandali, vel contemptus, gravem injuriam Scripturæ, & Evangelio inserat, sicque novæ culpæ lethalis reus fiat; & in hoc sensu intelligi potest Angel. in comment. supra illa verba Psalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus,* &c. ita Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 16. sect. 3.

#### M E N S E M A I I.

CAS. I. Sacerdos Missam celebrare solet sine Crucifixo sub oculosposito, parva Cruce in Tabernaculi Ostiolo depicta contentus. Q. an absque culpa?

Respondeo non vacare culpa saltem veniali. Ratio est, quia juxta Missæ Rubricas, quas per se violare absque culpa saltem levi non possumus, Crux reprobæ Missæ inter Altaris candelabra collocanda præscribitur his verbis: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo,* part. 1. tit. 20. n. 1., & hoc ad repræsentandum Altare Crucis, in quo Christus se ipsum obtulit Patri; clarum autem est Crucem à Rubricis præscriptam non illam esse, quæ in Tabernaculi Ostiolo depicta videtur; eo vel maxime, quod, sive ex Episcop. Cæremon. L. 2. c. 12. sive ex ipsa praxi, & consuetudine Ecclesiæ edocemur, Crucem in Altaris ornatu pro Missa inservientem cum Crucifixo esse debere, quod cum nullatenus de Cruce in Ostiolo Tabernaculi depicta verificetur, sequitur Sacerdotem, hac parva depicta Cruce, tempore Missæ contentum, à levi saltem culpa non esse immunem. Ita cum Gav. part. 1. in rub. missal. tit. 20. de Lugo disp. 20. de Euch. sect. 2. num. 79.

CAS. II. Capellanus à Parocho reprehenditur, quia in Missa post Calicis sumptionem solet aqua loco vini Calicem purificare. Q. an detur in casu reprehensionis motivum?

Respondeo affirmative: Nam Innoc. III. in c. ex parte de celebr. Miss. inquit: *Respondemus, quod semper Sacerdos vino purificare debeat postquam totum accepit Eucharistiæ Sacramentum.* Item S. Pius V. in ep. ad Episc. Tarracon. die 8. Januarii 1571. assignavit quantitatem vini pro purificatione

Ca-

Calicis adhibendam. Denique Rubrica Missalis part. 2. tit. 10. n. 5. præscribit, quod Sacerdos, ministro vinum fundente, se purificet, deinde vino, & aqua digitos super Calicem abluat. Cum autem ex his clare appareat Capellanum non sine culpa posse aqua loco vini Calicem purificare, jure merito à Parocho reprehendi dicendum est. Ita cum Azor. p. 1. L. 12. c. 20. q. 7. Tamb. de sacrif. Miss. L. 4. c. 9. n. 3. Pasq. q. 209. n. 2. Gav. in rubr. Miss. part. 2. tit. 10. n. 5.

CAS. III. Parochus Capellanum habens valde eruditum, & pium, onera Parochi sustinentem, orationi tantum, propriæque quieti indulget. Q. an ita se gerens in conscientia sit tutus?

Resp. negative. Sicuti enim Parochus non est in conscientia tutus, quando legitime non impeditus, munus prædicandi Verbum Dei per Capellanum exercet, cum hoc nisi in casu legitimi impedimenti ipsi Parocho non permitatur, ut ex Trid. sess. 5. c. 2. videre est; multo minus erit in conscientia tutus, quando generatim onera ipsi incumbunt, nullum habens legitimum impedimentum, Capellano exercenda relinquat. Neque refert Capellanum esse valde eruditum, & pium, magisque ipsum Parochum orationi, sua quiete indulgere; nam ad Parochum ut animarum Pastorem, non ad Capellanum, qui tantum adjutor est, loquitur Christus, dum dicit: *Pasce Oves meas;* ex quibus Verbis infertur, Parochum orationi tantum, & quieti incumbentem, in conscientia tutum non esse, cum, ut suo muneri satisfaciat, labori, & orationi, prout opus est, incumbere debeat.

#### M E N S E J U N I I.

CAS. I. Diaconus, absente Parocho, ex præsumpta ipsius licentia, Puerum in Ecclesia Parochiali solemniter baptizavit. Q. an peccaverit, & aliquam pœnam incurrerit?

Respondeo affirmative quoad utramque partem. Ratio primæ est, quia licet Diaconus ex sibi commissa per Parochum facultate baptismum solemniter conferre possit, cum ad hoc sit Ordinatus, ut in Sacramentorum ministerio Sacerdoti inserviat; adhuc tamen si, prædicta commissione non existente, solemniter baptizat, cum sibi jurisdictionis actum usurpet, ad quem non est ordinatus, gravi culpa non vacat. Ratio secundæ partis desumitur ex dispositione legis in c. 1. de Clerico non ordinato ministrante, in quo habetur, quod si quis baptizaverit non ordinatus, irregularitatis pœnam incurrat. Censeo tamen, quod si prædicta Diaconi præsumpta facultas non in simplici futuro consensu, vel ratihabitione Parochi fundaretur, sed in talibus signis quæ ipsius Parochi consensum præsentem manifestarent, ut contingeret, si Parochus jam alias significasset talem solemnem Baptismi administrationem per Diaconum sibi gratam fore; tunc Diaconus sic baptizans ab omni culpa, & pœna remaneret immunis. Ita cum Salm. in cursu morali c. 4. n. 20. Suar. de bapt. disp. 31. sect. 4. Girib. de bapt. cap. 3. num. 8.

CAS. II. Sacerdos ante celebrationem recordatur unius lethalis in ultima confessione obliti, & propter instantem necessitatem absque nova confes-

sio-

sione celebrat. Q. an teneatur confiteri quamprimum?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia de Sacerdote nostro verificatur casus Concilii Trid. sess. 23. c. 7. nempe quod, instante necessitate, Missam celebret absque illius peccati confessione, quam si posset, præmittere ex divino præcepto ante eandem Missam, deberet. Ecclesiasticum enim præceptum confitendi quamprimum post Missam extenditur ad omnem casum, in quo dicta confessio ex divino præcepto ante Missam præmitti deberet, & propter urgentem necessitatem præmitti nequaquam potest. Cum autem certum sit, quod quando ante Missam recordamur alicujus gravis peccati in ultima confessione obliti, tenemur prius quam ad Altare accedamus, ipsum peccatum, licet indirecte absolutum clavibus subijcere, ut de eodem directe absolvamur; hinc est, quod, urgente celebrandi necessitate absque prædicti peccati prævia confessione, quam primum post Missam ad eandem confessionem tenemur. Ita Card. de Lugo disp. 14. sect. 7. n. 151. Girib. de Euch. c. 9. n. 38.

CAS. III. Medicus vocatus ad invisendum Infirmum gravi morbo laborantem, nullo facto verbo cum ipso Infirmo, ut per Pœnitentiæ Sacramentum animæ suæ consulat, de hoc tantum ipsos Infirmi parentes monet. Q. an sit à culpa immunis?

Respondeo. Vel Medicus præcise monet Infirmi parentes, nec aliam sollicitudinem haberet, ut certus fiat, an Infirmus animæ suæ jam consuluerit, vel certo credit ejus monitum perventurum ad aures Infirmi, ita ut paratus sit per se ipsum clare loqui ad Infirmum, si ejus parentes præstare hoc negligant. Si primum; dico, ipsum Medicum à gravi culpa non excusari, cum satis non obediat Decretis sive Concil. Later. sub Innoc. III. c. *infirmitas* de pœnit. & remiss. sive S. Pii V. in Bulla, quæ incipit *super gregem*, per quam sub gravissimis pœnis præcipitur, ut omnes Medici, cum ad Infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo Confessori confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi eis constiterit, quod Infirmi peccata sua confessi fuerint, quamque Bullam ipsi Medici, dum ad Doctoralem Lauream promoventur, se observaturos jurant. Si vero dicatur secundum, dico ipsum Medicum esse ab omni culpa immunem ex illa regula: *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Ita Card. de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 15. sect. 3. n. 38. Dian. t. 1. tr. 3. resol. 198. n. 3. Homob. de stat. p. 2. cap. 8.

### MENSE JULII.

CAS. I. VIR nobilis podagra detentus in domo sua rurali non curat, sicuti potest, ad Sacrum diebus festis audiendum, ut in privato ipsius domus Oratorio celebretur. Q. an possit à peccato excusari?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia Ecclesiæ præceptum tantummodo obligat Fideles ad audiendam Missam in Ecclesia, vel alio publico loco ad cultum publicum Deo deferendum electo; unde licet possit vir nobilis uti privilegio audiendi Missam in privato domus suæ Oratorio, verisimilius tamen est, quod non teneatur, præsertim si stipendiarium quærere Sacerdotem

tem oporteat; quia nemo uti suo privilegio cogendus est; secus, quod in alicujus favorem conceditur, in ejus onus converteretur. Hac ratione, licet posset quis vespere præcedenti recitare Matutinum diei sequentis, ad hoc non tenetur, etiam si pro die crastina impedimentum prævideat. Ita cum Diana part. 9. tract. 1. resol. 19. Homob. decas. consc. vol. 1. respons. 41. Gobat. t. 1. tr. 3. num. 255.

CAS. II. Titius tempore Sacri de præcepto audiendi deliberato animo impuras fovet cogitationes. Q. an præcepto satisfaciatur, & temporis circumstantia sit in confessione aperienda?

Respondeo quantum ad primum. Titium præcepto audiendi sacrum non satisfacere, si tempus, quo deliberato animo impuras fovet cogitationes, sit tempus notabile; cum etiam pura distractio voluntaria in cogitationes indifferentes, si sit diuturna, attentionem illam auferat, quæ una cum actu externo audiendi Sacrum præcipitur in cap. *Dolentes de cel. Miss.* si vero in dictis cogitationibus deliberate fovendis tempus modicum insumatur, erit quidem adhuc grave peccatum in specie luxuriæ, sed cum leve sit in ordine ad præceptum Sacri devote audiendi, eidem præcepto satisfacere dicendum est. Quantum ad secundum dico, circumstantiam hanc temporis non esse necessario in confessione aperiendam; licet enim majorem quandam deformitatem cum recta ratione importent deliberata turpes cogitationes habitæ Missæ tempore, utpote specialiter ad cultum Dei dicato, & ratione hujus circumstantiæ aliquam etiam contra religionem malitiam contrahunt, adhuc tamen hæc nova malitia necessario in Confessione aperienda non est, cum venialis terminos non excedat, nisi directe ex temporis ipsius Sacri contemptu procedat. Ita Suar. t. 1. de Relig. l. 2. c. 28. n. 16. Cassian. à S. Elia V. circumstantiam 106.

CAS. III. Capellanus ruralis vocatus die festo à nobili fœmina ad celebrandum in privato Oratorio, sciens ibi tali die jam aliud Sacrum esse peractum, ire recusat. Q. an bene se gerat?

Respondeo Capellanum bene se gerere. Ratio est, quia in Oratorio privato unica dumtaxat Missa in die celebrare licitum est juxta Pontificiæ concessionis tenorem; & proinde si quis scienter Missam alteram celebraverit, vel ad celebrandum induceret, gravi peccato obnoxius fieret, quia prædictum Oratorium respectu secundæ, & tertiæ Missæ est locus omnino ineptus, utpote pro eisdem nullatenus approbatus. Et hoc valet etiamsi nobilis fœmina primam Missam in die festo non audivisset, neque è domo egredi ad aliam audiendam posset; nam cum absolute unica tantum Missa in Oratoriis privatis permessa sit, ut constat etiam ex declaratione Clem. XI. sub die 15. Decem. 1703. ipsa necessitas audiendi Missam in die festo non erit motivum sufficiens, ut Missa altera celebretur. Ita Girib. de Sacrifi. Missæ, cap. 8. §. 6. n. 29.

### MENSE AUGUSTI.

CAS. I. Vidua quædam Puerum bimulum solet secum ducere tempore Missæ, cum non habeat, qui illum domi custodiat; sed iste